



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. II. Ly A peccatis tuis, concurrat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ;
si proferatur ante prolata ista verba: Absolvo te; non concurrat, si
proferatur postquam Sacerdos cum debita intentione ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

necessitate; nam faceret contra præceptum Ecclesiæ in re gravi, id est, in tali re, quæ probabiliter requiritur ad valorem Sacramenti.

Rogas à me, an quando *ly A peccatis*, explicitè apponitur, concurrat ad effectum Sacramenti, Respondeo:

CONCLUSIO II.

Ly A peccatis tuis, concurrat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, si proferatur ante prolata ista verba: *Absolvo te*; non concurrat, si proferatur, postquam Sacerdos cum debita intentione protulit ista verba: *Absolvo te*.

33.
Probatur 1.
pars Concl.
ex ratione.

Ratio primæ partis est; quia cùm tunc nondum sit effectus positus, quia nondum significata remissio peccatorum; & *ly A peccatis*, implicitè contineatur in istis verbis; *Absolvo te*, quæ significant remissionem peccatorum; quid mirum, si quando explicitè præponitur, concurrat ad effectum nondum productum? Sanè explicitè positum, videtur habere eandem vim, quam habet; implicitè tantum contentum in aliis verbis; nisi fortè inveniat totum effectum productum, prout invenit, quando sequitur ista verba; *Absolvo te*, prolata cum debita intentione.

Probatio 2.
partis;

Ex quo patet probatio secundæ partis; cùm enim per illa verba, *Absolvo te*, prolata cum intentione conficiendi Sacramentum, totus effectus sit productus, *ly A peccatis tuis*; subsequens, nihil invenit producendum, vel, ut melius loquar, comproducendum. Sicuti in forma ordinaria, indubité concurrat ad effectum Sacramenti *ly Ego*, tanquam pars formæ, inveniens effectum necdum productum: si autem Sacerdos diceret, *Absolvo te à peccatis tuis ego*, certum est, quod *ly Ego* nihil omnino operaretur; quia totum effectum inveniret productum per verba præcedentia. Neque in potestate Sacerdotis est, suspendere effectum Sacramenti tali casu, usque ad prolationem *ly Ego*.

34.
Sacramentum hoc ipso quo est, producit suum effectum;

Ratio est; quia Sacramentum est instar causæ naturalis, quæ hoc ipso quo est, producit suum effectum: cum ergo illa verba: *Absolvo te à peccatis tuis*, per se sint sufficientia ad significandam, & causandam remissionem peccatorum, non est in potestate ministrum, supposità debita intentione, impedire eorum effectum, vel suspendere usque ad prolationem *ly Ego*. Ergo similiter, si illa verba, *Absolvo te*, per se sint sufficientia ad significandam, & causandam remissionem peccatorum, non erit in potestate ministrum, illis prolatis cum debita

intentione conficiendi Sacramentum, impedire aut suspendere eorum significationem, vel effectum, usque ad prolationem *ly A peccatis tuis*.

An fortè existimas, quod si Sacerdos vellet, posset suspendere effectum Absolutionis, donec & usque explicitè pronuntiaverit omnia, quæ implicitè continentur in verbis essentialibus, v. g. *Ego Absolvo à peccatis tuis te Petrum: Ego Absolvo te à peccatis tuis, à duabus fornicationibus, tribus adulteriis &c.* Nonne si Sacerdos concilians vellet hoc modo dicere: *Hoc est corpus meum, id est, Christi*; suspenderet effectus Consecrationis usque ad prolationem *ly Christi*, quod implicitè continetur in *ly Meum*? Non habet apparentiam veritatis.

Nihilominus contrarium secundæ partis Conclusionis sustinet Vasquez ad q. 84. a. 3. dub. 4. n. 4 ubi sic ait: *Ego existimo illud verbum, Ego, & illa verba, A peccatis tuis, quæ communiter in forma apponuntur; primo, non esse de essentia simpliciter in illo primo sensu, quem diximus; non, inquam, esse, ut explicitè debeant proferri &c.*

Secundò, videtur mihi, cùm ea apponuntur, verè pertinere ad substantiam & essentiam formæ, & habere eandem causalitatem, in ut effectus non sequatur; donec illa pericula sint; non tamen sic putare de illis verbis, quæ deinde apponuntur: *In nomine Patris &c.* nec de illis, quæ apponuntur in forma Calicis à Latinis, *Novi & æterni testamenti &c.* nec de illis, quæ apponuntur à Grecis in forma Corporis: *Quid pro vobis tradatur*. Hæcenus Vasquez.

A quo si petas rationem disparitatis, non aliam assignabit, quàm implicitam connexionem pronominis, *Ego*, & similiter *ly A peccatis tuis*, in verbo, *Absolvo*, ità ut nullà ratione contineri non possint, & hoc modo, inquit, cùm explicantur, reddant eundem sensum, & eandem præcisè significationem, quæ ad effectum Sacramenti operatur, atque adeò sequitur, ad illius efficaciam, & formam pertinere. Hæc illi.

Quod autem *ly A peccatis tuis*, includatur necessariò in verbo, *Absolvo*, & in ejus significatione, non quidem secundum quod illud verbum absolute sumitur, sed secundum quod modificatur per Confessionem; probat ibidem; quia cùm in Confessione petatur Absolutio, & non à vinculis corporalibus, sed à vinculis peccatorum; ideo cùm dicit Sacerdos: *Ego te absolvo*; cùm absolutio debeat esse ab aliquo vinculo, intelligitur necessariò ex vi verborum, & iudicii hujus aut sententiæ, *A peccatis*; & ita tantum refert apponantur hæc verba, aut non. Et si non apponantur, manet eadem substantia formæ; & si apponantur, manet similiter, quia non significatur aliquid de novo, sed, quod implicitum erat ex vi verborum, exprimitur: quando verò

verò verba, quæ apponuntur, non erant in aliis necessario implicita ex vi significationis, etiam si comitanter continerentur, si explicitè apponantur, non pertinent ad formam Sacramenti substantialiter. Sic se habent verba Consecrationis Corporis apud Græcos, & Calicis apud Latinos. Huculque Val-

quez. Sed facilis est responsio; nimirum hæc omnia nihil aliud probare, quàm primam partem Conclusionis. Si enim (ut vult Vasquez) cum ait Sacerdos, *Ego te absolvo*, intelligatur necessarid ex vi verborum, & iudicii huius aut sententia, *A peccatis*, sive illa verba apponantur, sive non; ergo sive illa verba apponantur, sive non, caubabitur effectus Sacramenti, id est, remissio peccatorum; nam (ut bene Vasquez ibi n. 5.) non est in potestate Sacerdotis, amplius intentionem differre, quàm dum profertur significatio verborum, ita ut perfectâ significatione, sit formæ operatio; nec intentio, si protendatur ulterius, operari poterit aliquid, cum intentio debeat commensurari activitati, & activitas formæ significationi perfectæ ipsius effectus. Hæc ille.

Jam autem illa verba: *Ego te absolvo*, perfectè significant effectum, licet non tam explicitè, sicut dum apponuntur illa verba, *A peccatis*. Poterò quòd sit in potestate Sacerdotis, differre intentionem & effectum usque ad illam explicitam significationem, unde probatur?

Quia, inquit, Sacerdos posset aliquid apponere omnino repugnans formæ, & sic nulla esset forma; ut si diceret: *Ego te absolvo à peccatis alienis, vel, à peccatis, qua tantum coram Deo confessus es*. Immo de facto, inquit Henricus hic disp. 1. n. 27. in iisdem circumstantiis frequenter dicit: *Ego te absolvo, & addit, ab omni vinculo excommunicationis*; tunc autem ly *Abolvo*, tantùm significat absolutionem in genere, uti etiam, dum urgente necessitate, juxta præscriptum Ritualis Romanici, eadem propositione à censuris, & à peccatis absolvit dicens: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis*; tunc autem non perficitur Sacramentum ante ly *A peccatis*; & consequenter ly *Abolvo*, potest ex intentione ministri sumi generaliter, volendo ut determinetur ad absolutionem à peccatis, per verba expressa ad hoc instituta. Hæc ille.

Respondeo breviter, me idcirco signanter in conclusione addidisse illam particulam *Cum debita intentione*. Si quidem fateor cum Vasquez supra, vitari posse formam, si statim post illa verba, quæ dicuntur communitè essentialia, apponatur aliquid contrarium formæ; sed hoc ideo est, quia Sacerdos profertur priora verba, cum intentione ap-

ponendi aliquid contrarium formæ, non habuit debitam intentionem; proinde nec verba, aliàs sufficientia ad effectum Sacramenti, aliquid operabuntur, nec erunt verba formæ Sacramenti; v. g. si Sacerdos consecrans dicat: *Hoc est corpus meum æternum*; illa verba: *Hoc est corpus meum*, quæ aliàs sufficientissima sunt ad effectum Sacramenti, nihil operabuntur, nec erunt verba formæ Sacramenti, quia non habent significationem, quàm ex institutione Christi debent habere, id est, non significant Corpus Christi verum & reale, quale voluit Christus significari.

Unde si Sacerdos habuisset debitam intentionem significandi, & conficiendi verum & reale Corpus Christi, quando protulit illa verba: *Hoc est Corpus meum*, Sacramentum valuisset, tamen si postea addidisset ly *Æternum*. Ergo consimiliter in casu præsentis, si Sacerdos profertur illa verba: *Ego te absolvo*, haberet debitam intentionem conficiendi Sacramentum Pœnitentiæ, per consequens significandi per illa verba, quod Christus voluit significari, valeret Absolutio, tamen si postea adderet, *A peccatis alienis, vel, à peccatis, qua tantum coram Deo confessus es*; aut etiam si adderet, *A vinculo excommunicationis*.

Cæterùm quia non adest illa intentio, quando Sacerdos in iisdem circumstantiis frequenter dicit: *Ego te absolvo*, & addit, *Ab omni vinculo excommunicationis*, scit enim Absolutionem ab excommunicatione non esse Sacramentalem; hinc fit, ut tunc ly *Abolvo*, non significet Absolutionem à peccatis (quam alioquin significaret, si adesset debita intentio) sed Absolutionem, non in genere, sed in specie, Absolutionem, inquam, ab excommunicatione, in tantùm, ut si petra fuisset Absolutio ab excommunicatione, & Sacerdos diceret: *Abolvo te*, cum debita intentione absolvendi ab excommunicatione, etsi per inadvertentiam, vel sponte non adderet, *Ab excommunicatione*, Absolutio foret valida.

Et consequenter, si pœnitens expulisset tum peccata sua, tum excommunicationem, aut aliam censuram, & Sacerdos, intentione ab utroque vinculo absolvendi, diceret: *Abolvo te*, putamus cum Soto supra citato, utrumque vinculum fore solutum, tamen si non adderet, *Ab omnibus peccatis, & censuris*. Non ergo vitatur forma, quia suspendi potest effectus pro voluntate Sacerdotis; sed quia non fuit intentio debita, cum proferebantur verba formæ; neque poterat esse, quandoquidem per verba apponenda, destruebatur sensus verborum formæ, à Christo intentus.

• Dico ergo, non esse in potestate Sacerdotis, proferre illa verba: *Ego te absolvo*, cum debita intentione conficiendi Sacramentum, & suspen-

sechs si ad sit debita intentio,

40. Ostendit in forma hujus Sacramenti

41. Non potest Sacerdos proferre illa

verba: Ego te absolvo cum debita intentione, & suspendere effectum.

suspendere effectum Sacramenti; usque ad prolationem verborum sequentium, *A peccatis tuis*. Ratio mea est; quia non pendet à voluntate Sacerdotis, ut *ly Absolvo*, contineat, vel non contineat implicite illa verba, *A peccatis tuis*; sed quod implicite contineat, hoc habet ab institutione hominum, quam non potest quilibet particularis pro libitu suo immutare. Vel ergo illa implicita continentia sufficit ad essentiam Sacramenti, vel non. Si non; ergo illa verba, *A peccatis tuis*, semper erunt necessaria ad valorem, quod Auctores, contra quos agimus, negant. Sin autem aliquando sufficiat, nulla est ratio, quare non semper.

42. Obiectio ex Herincx

Si dixeris cum Herincx supra: *ly Absolvo*, determinate significat Absolutionem à peccatis, quando alia verba non exprimuntur, dum autem exprimuntur; videtur loquens velle per singula verba significare, id, quod proprie per se significant; adeoque sumere tunc *ly Absolvo*, in significatione generali; determinanda per verba subsequencia, *A peccatis tuis*.

Responsio Auctoris,

Respondeo; & quero; *ly Absolvo*, in significatione generali implicite continet *ly A peccatis tuis*, vel non? Si primum; ergo sufficit ad effectum. Sin autem postremum elegeris; rursum interrogo, quare est illa significatione generalis *ly Absolvo*? Item, quid est hæc implicita continentia?

Quid implicita continentia unius verbi in alio.

Sanè hæc implicita continentia non videtur esse aliud, quam generalis significatione, secundum quam *ly Absolvo*; significat omnem liberationem ab omni debito; hæc autem significatione generalis sufficienter determinatur ad liberationem à peccato, ex circumstantiæ præviæ Confessionis; & ex intentione conficiendi Sacramentum, absque eo quod addantur illa verba; *A peccatis tuis*, quæ tantum deserviunt ad explicandum illud, quod aliquoquin implicite in prioribus verbis continebatur.

Si ergo sufficiat implicita continentia, effectus non potest suspendi usque ad prolationem sequentium verborum, quæ supponunt implicitam continentiam, in tantum ut si Sacerdos non haberit intentionem absolvendi à peccatis, quando protulit *ly Absolvo*, sed à censuris tantum, falso addat, *A peccatis tuis*.

43. Replica,

Dices; ut Sacerdos habeat intentionem conficiendi Sacramentum, non requiritur, quod velit significare Absolutionem à peccatis per illud solum verbum, *Absolvo*; sed satis est, quod velit significare Absolutionem à peccatis per omnia ista verba simul: *Absolvo te à peccatis tuis*. Unde consequenter; qui habuisset talem intentionem; & omitteret *ly A peccatis tuis*, non conficeret Sacramentum.

Responsio Aliquorum.

Respondedo, vel ex hac ipsa Consequentiâ, Aliqui putant, Antecedens non esse admitendum; nam inconueniens dicunt, quod in

tali casu Sacramentum non foret validum, ex hypothesi, quod postrema illa verba non sint absolute essentialia.

Sed quidquid sit de isto inconuenienti; Respondo ego; res & verba in Sacramento intelliguntur determinata; in specie vel in individuo, ex institutione Christi: porò Ecclesia intelligit, Christum in hoc Sacramento determinasse in specie aliqua verba, quibus per modum sententiæ significaretur remissio peccatorum; ipsa verò determinavit in individuo hæc verba: *Ego te absolvo*, vel æquivalentia, non secundum significationem generalem & abstractam, sed ut implicite contineat; & præviâ Confessione, determinate significant Absolutionem à peccatis; ergo qui vult ministrare hoc Sacramentum, debet sic, & non aliter illa verba intelligere. Et si aliter intelligit, nihil efficit, quicquid Aliqui in contrarium asserant.

Inter quos etiam Dicastillo tract. 8. disp. 5. n. 50. & 64. admonens interim ministrum huius Sacramenti, quod quantum ad præximum atinet, non debeat ita restringere suam intentionem; ut solum velit fieri Sacramentum post omnia illa verba; & non aliter; quia (inquit n. 68.) cum hoc ipsum sit positum in questione inter Theologos; & multi negent id posse fieri, & valere Sacramentum, ita ut ante talia verba addita quidam Auctores putent, non valere Sacramentum, quando intentio est, ut nondum valeat usque dum alii proferantur; Alii verò putent; non posse postea habere effectum; res tota est in questione posita, adeoque non est usurpanda intentio & forma dubia; si possit ministris certò & tuò operari; ideoque in praxi proferenda verba sunt cum intentione; ut cum primum nec possint, habeant verba suum effectum. Hæc ille.

Ut igitur finem imponamus huic controversiæ, magis speculatiua, quam practica; putant Nonnulli, propterea Concilia pro forma huius Sacramenti statuisse hæc verba: *Ego te absolvo &c.* ut significarent illa verba: *A peccatis tuis*, pertinere ad formam Sacramenti, quatenus videlicet, vel explicitè, vel saltem implicite concurrunt ad ejus effectum: explicitè quidem, si dicatur: *Ego te à peccatis tuis absolvo*, implicite autem in forma ordinaria. Et quia agebant de forma ordinaria, noluerunt explicitè ponere illa verba.

Aliter ratiocinandum de istis verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Quæ, siue præponantur, siue postponantur, neque explicitè, neque implicite concurrunt ad effectum; & ideo licet minister possit suspendere effectum Sacramenti usque ad prolationem horum verborum: *A peccatis tuis* minimè tamen usque ad prolationem istorum verborum, *In nomine Patris &c.* siue dixeris

constituere eandem propositionem cum verbis precedentibus, siue diversam.

Ratio est; quia hoc ipso quo ponuntur verba necessaria & sufficientia pro effectu Sacramenti, ille causatur; jam autem ante invocationem SS. Trinitatis, ponuntur verba necessaria & sufficientia ad effectum; adeoque habetur sensus perfectus, quatenus ad Sacramentum pertinet, est adhuc sequantur alia particulae per modum ejusdem orationis, dummodo non turbent, siue immutent priorem sensum, à Christo intentum.

Confirmatur; quia etiam illa verba: *In nomine Patris* &c. juxta formam, præscriptam in Rituali Romano, Tit. de Sacram. Pœnitentia sequuntur Absolutionem à censuris; omnes tamen censent, Absolutionem à censuris esse completam & perfectam ante illa verba.

Nota me superius dixisse: Ecclesiam in hoc Sacramento determinasse in individuo, hæc verba: *Ego te absolvo*, vel æquipollentia; nam si in Baptismo & Eucharistia non ita Christus determinavit certa verba, quin æquipollentia sufficiant, multo minus id fieri debuit ab Ecclesia in hoc Sacramento, quia, ut dixi ex Scoto supra concl. 1. *sufficit quod exprimat actus sententia absolventis*, quod fieri potest diversimodis formulis verborum, ut patet in judicio publico. Queritur ergo, quæ sint ista: formula verborum, & respondeatur:

CONCLUSIO III.

Hæ formulæ æquevalent formæ ordinariæ Sacramenti Pœnitentiæ: *Tu absolveris à me. Petrus absolvitur à me. Inbeo te absolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te esse absolutum. Placet quod tu absolvaris, vel, quod absolvatur hic homo. Absolvat te Deus, seu, Absolvatur talis servus Christi*, in sensu imperativo, secus deprecativo.

Scotus 4. disp. 14. q. 4. n. 4. sic ait: *Non est necesse esse ut præcisa verba in isto Sacramento (Pœnitentiæ) sicut in Baptismo, vel Eucharistia; quia sufficit quod exprimat actus sententia absolventis, sicut & in iudicio publico non oportet esse limitata verba.*

Sed sicut in multis aliis, ita & in hoc displicet Scotus Suario, qui disp. 19. sect. 1. n. 23. Merito; inquit, reprehenditur Scotus, quod differentiam constituerit inter formam hujus Sacramenti, & Baptismi vel Eucharistia;

acsi non sint necessaria determinata verba in hac forma, sicut in illis, vel magis in illis, quam in hac; est enim hoc fallum, ut constat ex generali doctrina de Sacramentis in genere. Hæc Suarius. At non audiendus.

Constat quidem ex generali doctrina de Sacramentis in genere, in omnibus formis, quæ constituuntur ex verbis formalibus, necessaria esse determinata verba, saltem quoad sensum & significationem, id est, non sic determinata quoad illa materialia verba, quibus Ecclesia communiter utitur, quin synonyma vel æquivalentia possint sufficere; at tamen in omnibus formis æqualiter esse determinata verba à Christo, potius repugnat generali doctrinæ de Sacramentis in genere, ut patet ex dictis disp. 1. sect. 3. concl. 2.

Clarum enim est, Christum in individuo determinasse verba Consecrationis: *Hoc est corpus meum*. Verba autem Ordinationis in individuo, reliquit determinationi Ecclesiæ, & ideo unam formam majorem variationem admittit, quam aliam: nam cum utraque Ecclesia in Sacramento Eucharistia utatur illis verbis: *Hoc est corpus meum*; æquidem diversissimis verbis utitur in Sacramento Ordinationis, ut videbimus proprio loco.

Cum ergo Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii, & formam absolutionis per modum sententiæ judicariæ; neque determinaverit in individuo certam aliquam formam verborum, quibus Sacerdos in hoc judicio necessarius debet uti, quid mirum, si non sit necesse esse ita præcisa verba in hoc Sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia? Quippe formulæ judicariæ, quibus utuntur Judices ad proferendam sententiam in aliis materiis, diversissimæ sunt, cum tamen verba, quibus volumus rem aliquam simpliciter enuntiare seu significare nobis præsentem, communiter sint eadem.

Ex quo fit ut licet hæ formulæ sufficiant in Sacramento Pœnitentiæ: *Inbeo te absolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te esse absolutum. Placet quod tu absolvaris, vel, quod absolvatur hic homo*; at tamen non valeant hæ formulæ Consecrationis: *Inbeo hoc esse Corpus Christi. Do tibi Corpus Christi. Placet hoc esse Corpus Christi. Placet quod hoc sit Corpus Christi*. Aliud enim est simpliciter enuntiare, *Hoc est Corpus meum*, aliud imperare, ut constat. Jam autem per imperium judices solent in iudicio reos absolvere.

Immerito ergo Scotus reprehenditur, qui nunquam negavit Baptismum vel Eucharistiam posse confici per verba æquivalentia ordinariæ formæ, sed tantum voluit magis esse determinatam formam Baptismi, vel Eucharistia, quam Pœnitentiæ, quod verissimum est.

Arriaga disp. 50. n. 38. Mihi, inquit, videtur melius discurrendum, si consequenter dicamus, ea verba etiam esse valida pro Eucharistia.

50. Sed non est audiendus.

Christus in Eucharistia determinavit verba in individuo.

51. Scotus in Summa contra Pœnit.

52. Non valet hæ formulæ Consecrationis: *Inbeo hoc esse Corpus Christi*.

53. Oppositum docet Arriaga, & probat.